



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus

Complectens Julium, Augustum, Septembrem

Nepveu, François

Monachii, 1709

Dies 2. Veram aliquam religionem esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60520](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60520)

Augustus. Nemo Deum negat, nisi, cui, expedit, Deum non esse. *Aug.*

DIES II.

Veram Aliquam Religionem esse.

I.

SI Deus est, Religionem etiam aliquam esse oportet. Quid est Religio? est commercium quoddam Deum inter, & homines, in quo Deus hominibus cognoscendum se præbet, & homines Deum glorificant. Annon hominibus te cognoscendum præbuidisti, Domine? an non potentia, sapientia, benignitas tua manifestatæ fuere in operibus tuis? annon etiam hominis officium est, necessariò te glorificare? hoc autem est exercitium Religionis: si enim te cognoscimus, mi Deus, an non simul cognoscimus, te infinitè perfectum esse? an igitur ab officio te laudandi, & amandi nos eximere possumus? an non cognoscimus, te naturam esse supremam, nulli subjectam, & cui omnia subsunt? an non igitur debitum divinæ tuæ Majestati cultum præstare obligamur? vel interiùs per orationem, vel exteriùs per sacrificium?

an

an non cognoscimus te omnium bonorum esse Augustus,
originem? an non ergo animum perfecte
gratum exhibere tibi, eumque obsequiis nostris
testatum facere debemus? an non cognoscimus,
Deum esse infinite bonum, infinite liberalem,
adeoque potentem necessitatibus nostris subvenire?
annone igitur ad ipsum accedere nos oportet per preces,
& exercitia omnium horum actuum, per praxin
omnium nostrorum munerum? an non hoc est id,
quod Religio dicitur?

II. Cultus, quem Deo per Religionem exhibemus,
debet esse cultus exterior, publicus, & communis.
Debet esse exterior; cum enim homo corpus æquè,
ac animam suam à Deo acceperit, hæc duas partes
eidem subijcere debet. Debet esse publicus;
an non, mi Deus, honori sibi ducere debet homo,
quod tanto Deo servire, eumque laudare queat?
an cultu secreto eum contentum esse decet?
Cultus iste debet esse Communis; omnes homines tot,
tantaque bona à Deo accipiunt omnibus communia;
conspirare igitur eos oportet ad agendas ei pro illis
gratias, eumque colendum. Homo à natura sociabilis
est; si ergo homines in omnibus alijs vitæ actionibus
inter se uniti esse debent; an non æquum est,
ut inter se uniti sint in omnium præ-

Augustus. præcipuis, nempe in illis, quæ dirigunt ad cultum Deo præstandum? quemadmodum inclinatio naturalis rationi, & amor ordinato juncta, quo quis in seipsum fertur, vincula sunt, quæ homines inter se uniant, ad conflandam societatem; sic amor sui ipsius malè ordinatus, animi motus nimium vehementes, commoda propria, & privata hæc vincula sæpè dissolvunt, & discordiæ causa sunt. Opus proinde fuit mihi Deus, vinculo quodam validiore, ad homines coërcendos: & hoc est vinculum cultûs tui, nempe Religionis: hoc vinculum nos alligat tibi simul, & hominibus, mutua quadam inter nos ratione, eaque tanta, ut ab hominibus nos abalienare haud possimus, quin & â te nos abalienemus: quis verò hanc abalienationem non formidet?

III. Non est, nisi unica Religio: omnes homines non nisi unicum, idémque principium habent; æquum proin est, ut etiam unum, eundémque habeant finem, qui est Deus; nec, nisi unam, eandémque viam, quæ nos ad hunc finem perducatur, & hoc facit Religio. Innumeræ sunt viæ, quibus â fine nostro aberrare possumus. Sed quemadmodum veritas est una, sic non est nisi unica via, quæ nos ad illam perducere
que.

queat. Atque hanc viam Religio nos do- Augustus.
cet. Nemo est, præter te, mi Deus, qui
nos ad te perducere possit; nemo est præ-
ter te, qui te honoret, sicut honorari mere-
ris, nec quisquam est præter te, qui docere
nos possit, quâ ratione dignè honorandus
sis. Deus author est Religionis naturalis,
quæ alia non est, quàm ratio, quæ semper
idem habet principium, & finem eundem,
cùm homo eam securus est, rectà ad Deum
retendit: sed cùm ea debilis esset, à sensibus
& cupiditatibus suis corrumpi se passa est.
Necessarium proin fuit, mi Deus, ut loque-
reris homini modo clariore, & efficaciore,
ut is te intelligeret, tibi que obediret. Ea
de causa opus fuit Religione supernaturali.
Religio judaica ejusdem initium fuit, &
quasi delineatio: Religio verò Christiana
ejusdem est perfectio. Benedictus sis Do-
mine, quòd me per gratiam tuam ad eam
vocaveris.

*Grates age Deo pro gratia, quam tibi præsti-
tuit ad Religionem perfectam te vocando; sed sta-
tue eam probro non exponere per vitam vel inor-
dinatam, vel imperfectam.*

Unus Dominus, una fides, unum Ba-
ptisma. *Ephes. 4. 5.*

Religio est quodamodò regalis via, quæ
una ducit ad Regnum æternitatis firmitate
securum. *Aug. l. 10. de Civit.* **DIES**